

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIO^NE^S

VOL. XXIV - N. 2

1992

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIU M
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1992

Sped. Abb. Postale - gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Constitutio Apostolica « Fidei Depositum » qua Catholicae Ecclesiae Catechismus post concilium oecumenicum Vaticanum II instauratus publici iuris fit	191
Litterae apostolicae motu proprio datae de Pensionibus denuo ordinandis	191

ACTA CONSILII

Praecipuorum actorum conspectus	196
---	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi quoad transitum Christifidelis Ecclesiae Latinae ad aliam Ecclesiam ritualem sui iuris	200
--	-----

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Responsio in casu particulari seu « in re peculiari » ad propositum quae situm de statu libero nuptientium	
--	--

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Dubium	203
------------------	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis » (Sessio X)	204
II. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis » (Sessio XI)	249
III. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis » (Sessio XII)	265
VI. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis » (Sessio XIII)	300

Opera a Consilii Bibliotheca recepta	351
--	-----

Notitiae	353
--------------------	-----

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

I

COETUS STUDII «DE SACRA HIERARCHIA»

Sessio X (dd. 13-18 decembris 1971 habita)

Diebus 13-18 decembris 1971, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, Consultores convenerunt Coetus studii «De Sacra Hierarchia», sub directione Rev.mi D. Onclin, Secretarii adjuncti Commissionis. His conventibus intererant Exc.mi septem et Rev.mi quattuor Consultores.

Actuarii munere functus est Rev.mus D. Herranz, a studiis Commissionis. Aberant Rev.mi duo Consultores.

Rev.mus Secretarius Ad. in mentem adstantium revocat quaestiones de quibus disceptandum est, sive ut schemata iam apparata adhuc perpoliantur sive ut sententiae exquirantur Consultorum quoad novas propositas studii materias. Dein disceptatio incipit de singulis argumentis.


I. QUAEDAM PROPONUNTUR EMENDATIONES AD SCHEMATA CANONUM PRAECEDENTIS SESSIONIS

A) DE SEDE IMPEDITA ATQUE DE SEDE VACANTE

Omnes canones iam approbati denuo leguntur, et eae sunt propositiones quae fiunt:

Can. 9

Obiicit Rev.mus primus Consultor verba § 1 «ab hoc Capitulo una cum Collegio consultorum» sonare ac si de duobus collegiis agatur, dum mens e contra est ut membra simul atque collegialiter agant. Proponit Rev.mus Secretarius Ad. et placet, ut dicatur: «Ab hoc Capitulo una cum Collegio consultorum, *in unum collegium coadunatis*, moderante...».



Quoad eandem § 1, etiam Rev.mus primus Consultor animadvertisit heic agi solummodo de iure praesentationis, dum in can. 13 § 1 tres modi recoluntur, nam ibidem dicitur: «iam electus, nominatus vel praesentatus». Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc in casu agi de praesentatione trium candidatorum, qui prius eliguntur a Capitulo, ut Sancta Sedes unum nominet. Ut vero omnes casus comprehendantur haec emendatio fit, quae omnibus placet: «...quibus iure *electionis aut praesentationis...*».

Can. 12

Quaerit Rev.mus primus Consultor quid contingat si maioritas absoluta non obtineatur. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc in casu regulam generalem applicari, nempe nominationem pertinere ad Metropolitam.

Textus ergo manet uti approbatus erat.

Can. 15

Postulat Rev.mus primus Consultor ut in § 1 expungantur verba «rei natura», quia non videntur necessaria. Obicit vero Rev.mus secundus Consultor haec verba servanda esse, quia si Administrator dioecesanus non sit Episcopus caret facultatibus quae ratione consecrationis episcopalnis habentur. Sic, ex. gr. potest forsitan litteras dimissorias concedere, non autem ordinationem conferre.

Textus ergo manet uti approbatus.

B) DE PAROECIIS ET DE PAROCHIS

Can. 1

Iuxta Rev.mum primum Consultorem moderator de quo in § 3, cum sit proprius paroeciae pastor, appellari potest et debet «parochus», ut certitudo iuridica habeatur in actibus iurisdictionibus, atque etiam ut vitetur periculum dispersionis patrimonii, etc.

His dictis accedunt Rev.mus secundus Consultor et alii Consultores; Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit emendationem: «... uti proprius paroeciae pastor, *cum omnibus parochi obligationibus et iuribus* curam pastoralem moderetur». Hoc tamen non placet Consultoribus, quia in casu agitur de situatione provisoria, et expedire non videtur ut iura parochi ab ipso iure concedantur. Ipse Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit talem moderatorem non omnibus parochi obligationibus teneri, ex gr. obligatio-

ne residentiae, quapropter melius esse videtur ut in proposita emendatione dicatur tantum: «cum omnibus parochi iuribus». Fit ergo suffragatio, et plerisque Consultoribus placet ut textus maneat sicuti est, sine ulla emendatione.

Can. 2

Postulat Rev.mus tertius Consultor ut expungatur verbum «omnes» christifideles, nam haberi etiam possunt paroeciae personales. Respondet vero Rev.mus Secretarius Ad. textum exprimere regulam generalem, praesupposita quidem possibilitate paroeciae personalis. Manet ergo textus iam approbatus.

Can. 8

Suggerunt Rev.mi primus et secundus Consultores ut, in § 3, expungantur verba «et ab Apostolica Sede probatis», quia haec condicio non requiritur in Motu pr. «Ecclesiae Sanctae». Haec propositio omnibus placet.

Exc.mus quartus Consultor mavult ut dicatur in eadem § 3: «... et Superiorum *ad normam iuris* initis...», ne Superior nimias atque onerosas condiciones apponat. Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut haec idea melius exprimatur per verba: «... salvisque conventionibus *legitime* inter Episcopum...». Haec emendatio recipitur, quia ita conventiones de quibus agitur praevalere non possunt contra leges vel consuetudines legitimas.

Can. 12 § 1

Desiderat Exc.mus quintus Consultor ut, quoties adiuncta id postulent, si duae paroeciae uniendae sint aequa principaliter semper uniantur. Adiungit Exc.mus sextus Consultor hoc necessarium quoque esse ob penuriam vocationum sacerdotalium. Obiicit tamen Rev.mus Secretarius Ad. cui et alii Consultores accedunt, hunc rerum statum in melius Deo favente mutare posse, neque opportunum videri ut paroeciae supprimantur.

Rev.mus primus Consultor quaestionem ponit generalem de unione, suppressione, etc. officiorum ecclesiasticorum: persona iuridica seu moralis ex se est perpetua, ideoque etiam paroecia est perpetua, et congruit ut non supprimatur.

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit hanc emendationem, quae a Consultoribus probatur: «... habeat; *ob penuriam vero sacerdotum aut alia adiuncta possunt, etiam pro tempore, quaedam paroeciae aequa principaliter uniri*».

Quoad § 2. Exc.mus quintus Consultor quaestionem ponit de paroecia in qua habeantur responsabiles pro singulis zonis seu sectoribus. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. responsabiles plures esse posse, sed semper sub uno moderatore, ut certitudo iuridica habeatur. Huic responsioni Exc.mus quintus Consultor accedit, ideoque textus manet uti erat approbatus.

Can. 20

Quaerit Rev.mus primus Consultor quis gerat personam paroeciae in casu de quo in can. 1 § 3: si est enim sacerdos cui cura pastoralis committitur, id clare dicendum est. Suggerit Rev.mus tertius Consultor ut in hoc canone 20 dicatur: «... aut *sacerdos curae pastoralis moderator*».

Hoc tamen non placet, quia verba intelligi possent ac si hoc unum ius tali sacerdoti agnoscat; non autem ius assistendi matrimonio, etc.

Fit ergo parva discussio, cuius in fine proponitur ut sequens additio fiat in can. 1 § 3: «... qui, *cum iuribus parochi propriis de quibus in cann. 16 et 20, uti proprius...*». Adversus hanc formulam duae admoventur obiectiones: Rev.mus septimus Consultor existimat mentionem quoque faciendam esse de obligationibus; Rev.mus primus Consultor censem mentionem non esse restringendam ad iura de quibus in cann. 16 et 20, quia alia iura etiam adsunt.

His omnibus attentis, placet ut additio fiat in can. 1 § 3, nempe: «...qui, *cum iuribus parochi propriis, uti proprius...*».

Can. 21

Postulat Rev.mus primus Consultor ut, quae de Ordinariis dicuntur in §§ 1 et 2, extendantur quoque ad Conferentias Episcopales. Obiicit tamen Exc.mus sextus Consultor, cui et ceteri Consultores accedunt, non nimiam facultatum molem transferendam esse ab Episcopo in Conferentiam Episcopalem. Sunt enim multae quae bene solvi possunt ope Synodi dioecesanae vel Consilii presbyteralis, etc.; dum competentia Conferentiae Episcopalis non nimis extendi debet, etiam quia saepe adiuncta sunt diversa in singulis dioecesisibus.

Quoad § 4, Rev.mus Secretarius Ad. proponit, et ceteris placet, ut addantur verba: «... absentiae, nisi loci *Ordinarius aliter providerit, curam...*».

Can. 22

Ad vitandas repetitiones, suggestente Rev.mo primo Consultore, placet ut in § 4 loco «in §§ superioribus» dicatur «in §§ 1, 2 et 3»; atque etiam in § 5, loco «in §§ superioribus», dicatur «in §§ 1, 2, 3 et 4».

Can. 23

Proponente Rev.mo Secretario Ad. placet ut in § 2 addantur verba: «... *praescripto can. 1107, ratione adoptionis, itemque...*».

Quoad § 6, quaerit Exc.mus octavus Consultor num utile sit servare libros etiam antiquiores. Ceteris Consultoribus videtur tales libros servandos esse, immo Rev.mus primus Consultor postulat ut normae speciales hac de re condantur. Rev.mus Secretarius Ad. suggestit ut in § 6 deleantur verba «*etiam antiquiores*» et nova § 7 addatur, sub hoc textu: § 7. *Libri paroeciales antiquiores quoque diligenter custodiantur, secundum praescripta iure particulari statuta.* — Haec propositio placet.

Can. 24

Proponitur ut addatur nova § 2 sub hoc textu:

«§ 2. Parochum qui est sodalis Instituti perfectionis aut societatis clericorum libere, pro suo prudenti arbitrio amovere possunt tum loci Ordinarius, monito Superiore, tum Superior Instituti ad normam constitutionum competens, monito loci Ordinario, aequo quidem iure, qui alter alterius consensu egeat, immo vel alteri causam iudicii aperire teneatur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem».

Rev.mus primus Consultor obiectionem movet adversus hunc textum, quia statuit aequalitatem inter Episcopum et Superiorem de quo agitur: iuxta Rev.mum haec aequalitas vigere debet quoad collationem officii, non autem quoad remotionem; cura enim portionis Populi Dei pertinet ad Episcopum, dum Superioris Instituti perfectionis aut societatis clericorum est super disciplina invigilare. Proponit igitur Rev.mus Secretarius Ad. ut amotio semper fiat ab Episcopo, monito vel petente Superiore, et quidem cum possibilitate recursus, si Episcopus sacerdotem amovere non velit. Censem tamen Exc.mus nonus Consultor in casu de quo agitur conventionem haberi, ex qua iura oriuntur, quin hoc significet Superiorem interventu gaudere in rebus dioecesis: Superior enim Instituti aut Societatis sacerdotem offert, sub tacita clausula eum amovendi quotiescumque iusta adsit.

Huic opinioni accedit Rev.mus secundus Consultor, iuxta quem labor talis sacerdotis est servitium dioecesi praestitum. In eodem sensu, Exc.mus animadvertis rationes amotionis multas esse posse, et imprimis bonum spirituale ipsius sacerdotis, ob causas quae tantum a Superiore Instituti perfectionis aut Societatis cognoscuntur.

His attentis, proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut dicatur: «*Ratione conventionis saltem tacitae inter loci Ordinarium et Superiorem initiae, parochum...*». Ita solvitur quaestio iuridica — vitatur nempe interventus Su-

perioris Instituti perfectionis aut Societatis in regimine dioecesis, quia omnia fiunt secundum conventionem initam.

Instat tamen Rev.mus primus Consultor, iuxta quem etiam Episcopus tenetur conventione, quia pacta sunt servanda, sed ad eius mentem amotio uni Episcopo reservari debet. Nova ergo redactio proponitur a Rev.mo Secretario Ad., nempe:

« Parochum qui est sodalis Instituti perfectionis aut societatis clericorum libere, pro suo prudenti arbitrio, amovere potest Episcopus dioecesanus, monito Superiore ad normam constitutionum competenti; eundem amovere debet, requirente id eodem Superiore, qui vero nec ipse rationem sui iudicii Episcopo aperire tenet, salvo quidem recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem ».

Hic textus omnibus consultoribus placet, excepto Exc.mo nono Consultore.

Antequam incipiat disceptatio de novis schematibus canonum, Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an quis animadversiones habeat propo- nendas in Relationem conclusivam praecedentis Sessionis. Nulla fit ani- madversio, ideoque, facta suffragatione, Relatio conclusiva Sessionis IX^a unanimiter approbatur.

II. SCHEMATA NOVORUM CANONUM PROPONUNTUR

Schemata quae a Rev.mo Secretario Ad. attentis Consultorum senten- tiis proponuntur sunt sequentia:

A) DE VICARIIS PAROECIALIBUS

Can. 25 (CIC, can. 476 §§ 1-2)

Haec est formula proposita:

§ 1. Ubi ad pastoralem paroeciae curam debite adimplendam necesse aut opportunum sit, parocho adiungi (dari) possunt unus aut plures vicarii paroeciales, sacerdotes nempe qui, tanquam parochi cooperatores eiusque sollicitudinis participes, operam in ministerio pastorali praestent, communi cum parocho voluntate et studio, atque sub eiusdem auctoritate, mune- ra docendi, sanctificandi et regendi communitatem christifidelium paroe- ciale exsequentes.

§ 2. Vicarius paroecialis constitui potest sive ut opem ferat in universo ministerio pastorali explendo, et quidem aut pro tota paroecia aut pro determinata paroeciae parte aut pro certo paroeciae christifidelium coetu, sive etiam ut operam impendat ad certum ministerium in diversis insimul paroeciis persolvendum.

Quoad § 1, Exc.mus sextus Consultor postulat ut dicatur «parocho adiungantur», loco «parocho adiungi possunt», ne parochus difficultates moveat. Alii tamen Consultores censem textum manere posse, quia quandoque, ob penuriam sacerdotum, Episcopus nominare nequit vicarios. Memorat praeterea Rev.mus primus Consultor duos possibles casus: parochus unicus vel coetus sacerdotum; ut autem duplex haec formula retineri valeat, magis congruit textus in canone propositus. His rationibus accedit Exc.mus sextus Consultor.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur: «...communi cum parocho *consilio* et studio...», quod placet.

Relate ad § 2, quaerit Exc.mus octavus Consultor a quo parocho pendeat vicarius qui munere aliquo fungatur pro diversis simul paroeciis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. normam iam praevisam esse hac de re, eo sensu ut talis sacerdos pendeat ab Episcopo quoad munus interparoeciale.

Aliae admoventur quaestiones quoad hanc § 2: Exc.mus quintus Consultor dicit aliquibus in locis vicarios praeoptare ut nomine «co-parochi» designentur; Rev.mus primus Consultor censem distinctionem faciendam esse inter munera interparoecialia et munera paroecialia quae ab uno vicario excentur in favorem plurium paroeciarum, sub auctoritate quidem parochi; Exc.mus quartus Consultor censem coordinationem pertinere ad decanum; attamen Rev.mus Secretarius Ad. respondet vicariorum munera determinari ab Episcopo, uti dicitur in proposito can. 28 § 1.

His attentis, textus § 2 provisorie placet omnibus uti iacet, sed propONENTE Rev.mo Secretario Ad. approbatur additio verbi, nempe: «...in diversis insimul *determinatis* paroeciis persolvendum».

Can. 26 (novus)

Haec est formula quae proponitur:

§ 1. Ut quis valide in vicarium paroeciale constituatur, requiritur ut sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Vicarius constituatur sacerdos qui sana doctrina morumque probitate praestat quique iis gaudet qualitatibus quae ad curam pastoralem

una cum parocho in populo christiano de quo agitur idonee exercendam requiruntur.

Quibusdam Consultoribus (Rev.mo primo Consultori et aliis) non placet in § 2 locutio «una cum parocho», quae iuridice manifestare videtur aequalitatem; fovenda quidem est omnium responsabilitas personalis, sed sine confusione. Proponentibus ergo Exc.mi quinto et sexto Consultoribus atque Rev.mo Secretario Ad., placet ut dicatur: «... quae ad curam pastoralem *erga* populum de quo agitur idonee *participandam* requiruntur».

Can. 27 (CIC, can. 476 §§ 3-4)

Textus propositus ita sonat:

§ 1. Sacerdotem clero dioecesano adscriptum libere vicarium paroecialem nominat loci Ordinarius, auditio parocho aut parochis paroeciarum pro quibus constituitur, necnon, si opportunum id iudicaverit, vicario foraneo seu decano.

§ 2. Ad sodalem Instituti perfectionis aut clericorum societatis vicarium constituendum quod attinet, Superior Instituti aut societatis secundum constitutiones competens eum praesentat loci Ordinario, cuius est, servato praescripto § 1, eum approbare et instituere.

Dubitat Exc.mus nonus Consultor de necessitate audiendi parochum (§ 1).

Plerisque vero videtur hanc condicionem servandam esse.

Exc. mus octavus Consultor eandem esse debere personam quae nominat et quae removere potest vicarium, scilicet Episcopum dioecesanum, non autem loci Ordinarii in genere. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. Episcopum dioecesanum posse nominationem sibi reservare, dum amotio sibi exclusive ipso iure pertinet. Fit tamen suffragatio et plerisque placet textus uti propositus est.

Quaerit Exc.mus quartus Consultor num hoc in casu audiendum etiam sit Consilium presbyterale, sed de hac re actum iam est in sessione praecedenti, ubi negativum responsum datum fuit.

Quoad § 2 expungitur, proponente Rev.mo primo Consultore, verbum «approbare», quia talis approbatio praesupponitur in institutione.

Can. 28 (CIC, can. 476 § 6)

Haec est formula proposita:

§ 1. Vicarii paroecialis obligationes et iura statutis dioecesanis, litteris loci Ordinarii necnon parochi commissione determinantur; unicuique au-

tem vicario paroeciali proprium ipsi laboris apostolici campum assignet loci Ordinarius, si agatur vicario pluribus insimul paroeciis dato, loci Ordinarius aut paroeciae parochus, si agtur de vicario pro una paroecia constituto.

§ 2. Nisi aliud expresse litteris loci Ordinarii caveatur, vicarius paroecialis ratione officii obligatione tenetur parochum in universo paroeciali ministerio explendo adiuvandi, excepta quidem applicatione Missae pro populo, atque, si res ferat, parochi vicem supplendi.

§ 3. Vicarius paroecialis regulariter de inceptis pastoralibus prospectis et susceptis ad parochum referat, ut parochus et vicarius aut vicarii, concordi semper voluntate et coniunctis viribus, pastorali curae providere valent communitatis paroecialis, cuius insimul sunt sponsores.

Latius tractatur de hac materia, quia oportet ut vicariorum iura et obligationes bene determinentur. Hodie non sufficit quod in CIC can. 476 § 6 statuitur.

Rev.mus septimus Consultor postulat ut explicite dicatur vicarium omnia facere posse, quae parocho competunt, licet potestate vicaria. Huic tamen propositioni obiicitur hoc modo statui aequiparationem parochum inter et vicarium, neque in casu valere comparationem cum Vicario generali dioecesis.

Ad mentem Rev.mi primi Consultoris oportet ut hoc in canone explicite statuatur imprimis munus vicarii modo generali, quapropter proponit ut quae nunc est § 2 fiat § 1. Hoc autem non admittitur, quia, uti animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad., prius determinari debent fontes formales e quibus iura et obligationes scatent.

Exc.mus sextus Consultor et Rev.mus secundus Consultor manifestant convenientiam ut ambitus muneris vicarii apte determinetur: ergo servanda sunt verba de commissione parochi, sed antea enumerentur alii fontes, scilicet statuta dioecesana atque litterae Ordinarii.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem novam redactionem, quae omnibus placet: « ... dioecesanis *necnon* litteris loci Ordinarii *definiuntur, magis autem in specie* parochi commissione... ».

Placent §§ 2 et 3, sed in hac ultima §, loco « communitatis paroecialis » dicitur « paroeciae ».

Can. 29 (novus)

Ita sonat textus qui propositus est:

Nisi aliter loci Ordinarius providerit, absente parocho, ad normam can. 20, §§ 4 et 5, eiusdem locum tenet, cum omnibus parochi facultati-

bus et iuribus, vicarius paroecialis eidem paroeciae datus, et, si plures sint, eorum nominatione antiquior; qui quidem omnibus etiam obligationibus tenetur parochi, excepta obligatione applicandi Missam pro populo.

Mavult Exc.mus quintus Consultor ut vicarius substitutus hoc in casu non sit antiquior nominatione, sed ille quem parochus ipse designaverit; in redactione proposita clausula quidem satuitur, vi cuius Ordinarius potest aliter providere, sed hoc est odiosum pro Ordinario. Aliis tamen Consultoribus magis placet formula proposita, quia est norma prudentialis, et viciatur praeterea ne parochus ex arbitrio agat.

Rev.mus primus Consultor postulat ut terminologia unificetur: in can. 21 § 4 pro casu absentiae sermo est de facultatibus «quae ad curam pastoralem pertinent», in proposito autem can. 29 dicitur «cum omnibus parochi facultatibus et iuribus». Hac de causa proponit Rev.mus Secretarius Ad. et accipitur, ut textus ita compleatur: «...et iuribus, *in his quae ad curam pastoralem pertinent*, vicarius...» (ita excluduntur res oeconomicae).

Can. 30 (CIC, can. 476 § 5)

Haec est formula proposita:

§ 1. Vicarius paroecialis obligatione tenetur in paroecia aut, si pro diversis simul paroeciis constitutus est, in earum aliqua residendi, secundum praescripta statutorum dioecesis vel probatas consuetudines aut Episcopi dioecesani praescriptum; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut extra paroeciam resideat, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne pastoralium perfunctio munerum exinde detrimentum capiat.

§ 2. Curet loci Ordinarius, ad normam can. 134 (recogniti), ut inter parochum et vicarios aliquod vitae consortium foveatur, utque consuetudo vitae communis in domo paroeciali, ubi vigeat, quantum fieri possit, servetur.

§ 3. Ad tempus vacationis quod attinet, vicarius paroecialis eodem gaudet iure ac parochus, ad normam can. 20, §§ 2 et 3.

Textus huius canonis approbatur uti iacet, unica facta emendatione, sc. in § 2 dicendum est: «... ubi *id* fieri possit, provehatur».

Can. 31 (novus)

Textus ita proponitur:

«Praestationes quas occasione perfuncti ministerii pastoralis christifideles offerunt ad parochum deferat vicarius paroecialis, sicuti quilibet sacer-

dos munsu adimplens, nisi de contraria offerentium voluntate constet quoad praestationes non debitas; Episcoporum vero Conferentiae competit statuere praescripta quibus aequae praestationum inter parochum et vicarios distributioni provideatur».

Rev.mus primus Consultor proponit, et accipitur, ut expungantur verba: «sicuti quilibet sacerdos munus adimplens».

Postulante Exc.mo sexto Consultore, placet omnibus ut determinaciones de quibus in canone agitur non a Conferentia Episcopali sed ab Episcopo dioecesano statuantur. Placet ergo ut dicatur: «... non debitas; *Episcopo dioecesano, auditio Consilio presbyterali, competit...*».

Can. 32 (CIC, can. 477 § 1)

Formula proposita est:

«Vicarius paroecialis e clero dioecesano ab Episcopo dioecesano aut Administratore dioecesano, non autem a Vicario generali aut episcopali sine speciali mandato, amoveri potest, iusta de causa, prudenti eius arbitrio, naturali quidem aequitate servata; vicarius paroecialis sodalis alicuius Instituti perfectionis aut societatis clericorum amoveri potest ad normam can. 24 § 2».

Hoc loco denuo agitatur quaestio ab Exc.mo octavo Consultore proposita de Episcopo dioecesano vel loci Ordinario (cfr. can. 27), sed placet maioritati ut textus maneat ut propositus est; Exc.mus octavus Consultor huic sententiae accedit.

Canones novi

Postulat Exc.mus quintus Consultor ut novus canon redigatur de iure Episcopi nominandi vicarium coadiutorem cum iure successionis. Alii autem Consultores non approbant hoc ius successionis, sed concordant circa necessitatem delineandi figuram vicarii coadiutoris.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textum:

Can. 24 bis

§ 1. Cum vacat paroecia aut parochus, ratione infirmitatis vel inhabilitatis, captivitatis, exsilii vel relegationis, aliasve causae a munere pastorali in paroecia exercendo praepediatur, ab Episcopo dioecesano nominetur, aut, ad normam can. 8 § 3, instituatur, administrator paroecialis, sacerdos scilicet qui parochi vicem pro tempore suppleat, omnibus parochi obligationibus adstrictus iuribusque gaudens.

§ 2. Administrator paroecialis constitui etiam potest, si Episcopus dioecesanus id expedire iudicaverit, casu quo parochi absentia ultra mensem sit duratura.

Luxta Exc.mum nonum Consultorem canon forte non est necessarius, quia Episcopus potest nominare vicarium paroeciale. Obiicit tamen Rev.mus primus Consultor normam claram hoc in casu statuendam esse. Ad mentem ipsius Rev.mi providendum quoque est quoad tempus ante administratoris nominationem, quapropter haec adduntur verba: «... gaudens; usque ad nominationem institutionemve administratoris paroecialis applicetur can. 21 § 4».

Censem Rev.mus septimus Consultor cui accedit Rev.mus secundus Consultor, verba addenda esse de innovationibus ab administratore non introducendis:

sufficere enim non videtur principium generale « sede vacante, nihil innovetur », quia in casu de quo agitur administratori tribuuntur omnia parochi iura. Proponitur ergo ut § 1 in duas paragraphos dividatur, de nominatione in casu vacationis et in aliis adjunctis.

Rev.mi primus et tertius Consultores postulant ut in canone addatur verbum « quamprimum », quod continetur in can. 472 § 1 CIC.

His omnibus attentis sententiis, Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut diversi canones redigantur circa:

- a) obligationem instituendi administratorem, sive sede vacante sive ob alias rationes speciales;
- b) determinationem iurum administratoris, qui tamen nihil debet innovare;
- c) casu quo parochus aliquid facere valet, tunc iura administratoris in litteris institutionis determinentur oportet;
- d) quomodo providendum sit usque ad administratoris nominationem.

Proponitur ergo textus quatuor canonum:

Can. 24 bis

Textus sic sonat:

§ 1. Cum vacat paroecia aut parochus, ratione captivitatis, exsilii vel relegationis, inhabilitatis vel infirmitatis aliasve causae a munere pastorali in paroecia exercendo praepediatur, a loci Ordinario quamprimum nominetur, aut ad normam can. 8 § 3 instituatur, administrator paroecialis, sacerdos scilicet qui parochi vicem pro tempore suppleat ad normam can. 24 (ter).

§ 2. Administrator paroecialis constitui etiam potest, si Episcopus dioecesanus id expedire iudicaverit, casu quo absentia parochi ultra mensem sit duratura.

Hic textus ab omnibus approbatur uti iacet.

Can. 24 ter

Haec est formula proposita:

§ 1. Vacante paroecia itemque parocco ob rationes de quibus in can. 24 (bis) § 1 a munere pastorali exercendo prorsus (penitus) impedito, administrator paroecialis, in iis quae ad curam animarum pertinent, iisdem adstringitur officiis iisdemque gaudet iuribus ac parochus.

§ 2. Parocco ratione inhabilitatis infirmae valetudinis a munere ex plendo pro parte impedito, administrator paroecialis iis adstringitur obligationibus gaudetque iuribus, quae actu constitutionis definiuntur.

§ 3. Administratori paroeciali nihil agere licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut damno esse possit bonis paroecialibus.

Quoad § 1 postulat Exc.mus quartus Consultor, concordantibus ceteris, ut deleantur verba «in iis quae ad curam animarum pertinent», quia hoc in casu administrator paroecialis omnia facere debet.

Quoad § 2 animadvertisit Rev.mus tertius Consultor nihil dici de absentia quae praevideatur in canone praecedenti. Placet ergo ut addantur verba: «...impedito aut *ad normam can. 24 bis absente*, administrator...».

Placet § 3. Postulante autem Rev.mo primo Consultore, additur § 4, sub hoc textu: «*Administrator paroecialis post expletum munus eiusdem parocco rationem reddat*».

Can. 24 quater

Hic est textus propositus:

§ 1. Vacante paroecia itemque parocco a munere pastorali exercendo penitus impedito, ante administratoris paroecialis constitutionem, paroeciae regimen interim assumat vicarius paroecialis, et si plures sint eorum nominatione antiquior; atque, si vicarii desint, parochus vicinior; Vicarii foranei est determinare quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior sit habenda.

§ 2. Qui paroeciae regimen ad normam § 1 assumpsit, loci Ordinarii de paroeciae vacatione statim certiore faciat.

Placet textus, sed proponente Exc.mo undecimo Consultore, in fine § 1 addantur verba: «...habenda; *nisi iam iure particulari definitum fuerit*».

B) DE VICARIIS FORANEIS SEU DECANIS

Can. 33 (CIC, can. 445)

Hic est textus propositus:

«Vicarius foraneus seu decanus seu archipresbyter est sacerdos qui vicariatui foraneo seu decanatu, de quo in can. 8 (de circumscriptionibus ecclesiasticis), ab Episcopo dioecesano praeficitur, auditis quorum interest sacerdotibus, iuxta praescripta ab Episcoporum Conferentia statuta».¹

Exc.mus octavus atque Rev.mus tertius Consultores postulant ut constitutio Vicarii foranei non sit obligatoria; multis enim in locis Iberoamericae — aiunt Consultores — magis expedit ut constituantur Vicarii episcopales ob sacerdotum penuriam. Etiam quoad libertatem constituendi Vicarios foraneos concordat Exc.mus quintus Consultor, quia id plures non expedit ubi paroeciae magnam habent extensionem seu magnum numerum fidelium.

Rev.mus Secretarius Ad. legit can. 8 de circumscriptionibus ecclesiasticis, qui sic sonat.

Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut constitutio Vicarii foranei sit facultativa. Non concordat Rev.mus primus Consultor qui optabilius censem ut criteria obiectiva statuantur, iuxta quae Vicarii constituendi sint necne.

Post aliquam disceptationem, placet plerisque Consultoribus ut ubi constitui non possint Vicarii foranei, eorum munus transferatur ad Vicarios episcopales. Impossibilitas autem definienda est non a Conferentia Episcopali, sed ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali.

His attentis, placet ut praedictus can. 8 de circumscriptionibus ecclesiasticis compleatur per additionem novae §, quae erit § 2, dum actualis § 2 fiet § 3. Textus approbatus novae § 2 sic sonat:

«§ 2. *Ubi, ob locorum vel temporum adiuncta, Vicariatus foranei de iudi-*

¹ *Can. 8 de circumscriptionibus ecclesiasticis, haec quae sequuntur habet praescripta:*

§ 1. Ut curae pastorali in paroeciis quam maxime provideatur, etiam per communem, ubi id expediat, diversarum paroeciarum actionem, plures paroeciae vicinae coniungantur in vicariatus foraneos, qui etiam veniunt nomina decanatus vel archipresbyteratus, quibusque praesunt vicarii foranei, decani seu archipresbyteri; horum est actionem pastoralem communem in territorio sibi commisso promovere ac moderari, atque paroeciis eiusdem territorii invigilare, ad normam iuris (cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 19)

§ 2. Vicariatus foraneos constituere, supprimere aut innovare, secundum necessitates actionis pastoralis, pertinet ad Episcopum dioecesanum, auditio Consilio presbyterali.

cio Episcopi dioecesani, auditio Consilio presbyterali, constitui non possunt, dioecesis dividatur in partes territoriales, in quibus singuli Vicarii episcopales muneribus fungantur quae iure Vicario foraneo competunt».

Sequitur ergo examen formulae can. 33.

Textus propositus placet, et approbatur, addita tamen hac emendatione: «... auditis sacerdotibus *in vicariatu de quo agitur ministerium explentibus, iuxta...* ».

Proponente autem Rev.mo primo Consultore quo melius haec figura determinetur iam in primo canone, placet ut textus in duas paragraphos dividatur, sequenti modo:

§ 1. Vicarius foraneus seu decanus seu archipresbyter est sacerdos qui vicariatui foraneo seu decanatui, de quo in can. 8 (de circumscriptionibus ecclesiasticis), ab Episcopo dioecesano praeficitur, ut ibidem nomine Episcopi munera expletat in canonibus quae sequuntur definita.

§ 2. Vicarius foraneus nominatur ab Episcopo dioecesano auditis sacerdotibus in vicariatu de quo agitur ministerium implentibus.

Can. 34 (CIC, can. 446)

Hic est textus propositus:

§ 1. Ad officium vicarii foranei, quod cum officio parochi certae paroeciae non ligatur, Episcopus eligat sacerdotem quem, inspectis loci ac temporis adjunctis, ad munera de quibus in can. 35 exercenda idoneum iudicaverit, et quidem sive aliquem parochum vicariatus foranei seu decanatus sive sacerdotem qui officio parochi non fungitur.

§ 2. Vicarius foraneus nominetur sive ad certum tempus sive ad tempus indeterminatum, secundum praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta.

§ 3. Vicarium foraneum iusta de causa, pro suo prudenti arbitrio, Episcopus dioecesanus ab officio libere amovere potest.

Formula ab omnibus approbatur, sed in § 2 deleanter verba: «sive ad tempus indeterminatum».

Can. 35 (CIC, cann. 447-448)

Textus qui proponitur sic sonat:

§ 1. Vicario foraneo, praeter facultates quas ei legitime tribuunt Concilium particulare vel Episcoporum Conferentia, Synodus dioecesana vel

Episcopus, atque attentis normis ab iisdem statutis, officium et ius est potissimum:

1º universa quae ad pastoralem actionem studia ed incepta in territorio sibi commisso suscipiunt sacerdotes, religiosi et laici, promovendi, moderandi et coordinandi, sub auctoritate Episcopi dioecesani;

2º prospiciendi ut sacerdotes aliique clerici sui districtus vitam ducent proprio statui congruam, utque officiis suis diligenter satisfaciant, in specie ut verbi divini ministerium debite persolvant, praesertim per homiliam ad norma can. 1339 (recogniti) habendam catecheticamque institutionem ad normam can. 1345, 1348 et 1351 curandam, ut sacramenta christifidelibus administrent, utque ministri eisdem plane devoti legem residentiae servent;

3º providendi ut sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur, ut decor et nitor ecclesiarum et sacrae supellectilis, maxime in celebratione eucharistica et custodia sanctissimi Sacramenti, accurate servetur, ut recte conscribantur et debite custodiantur libri paroeciales, ut bona ecclesiastica sedulo administrentur, utque domus paroecialis debita diligentia curetur.

§ 2. In territorio sibi concredito Vicarius foraneus personam gerit Episcopi dioecesani, cuius munus pastorale participat cuiusque nomine agit; quare:

1º peculiari sollicitudine prosequatur presbyteros aliosque clericos in territorio adlaborantes, confidentem cum eis consuetudinem habens atque communi cum eis consilio curans ut opus pastorale fructuose perficiatur;

2º operam det ut sacerdotes, iuxta iuris particularis praescripta, statutis ab eodem temporibus, praelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis, ad normam can. 129 (recogniti), intersint, utque, quantum fieri possit, easdem participet;

3º curet ut sacerdotibus sui districtus subsidia spiritualia praestosint, utque ipsis quae ad vitam honeste et digne ducendam subsidia materialia non desint, atque maxime sollicitus sit de iis sacerdotibus qui in difficultioribus versantur circumstantiis aut problematis angutuntr, eosdem frequenter visitans.

§ 3. Curet etiam Vicarius foraneus ne parochi sui districtus, quos graviter aegrotantes noverit, spiritualibus ac materialibus careant auxiliis, utque eorum qui decesserint funera celebret; provideat quoque ne, eis aegrotantibus vel decedentibus, libri, documenta, sacra suppellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

§ 4. Vicarius foraneus obligatione tenetur, statutis ab Episcopo dioecesano temporibus, sui districtus paroecias visitare.

Quoad § 1, 1° placet ut, loco «in territorio», dicatur «in Vicariatu foraneo». Proponente item Exc.mo quinto Consultore, approbatur ut loco «sacerdotes» dicatur «clericis». Demum, expunguntur verba «sub auctoritate Episcopi dioecesani», quia haec idea iam habetur in can. 33.

Quoad § 1, 2°, proponentibus Rev.mo primo Consultore et aliis, placet ut deleantur verba «ministri eisdem plane devoti».

Placet § 2, sed cum sequentibus parvis emendationibus:

— Initium paragraphi sic emendetur: «In *Vicariatu* sibi concredito Vicarius foraneus:»

- In n. 1° emendatur verbum: «*fraterna* sollicitudine».
- in n. 2°: «operam det ut *presbyteri* *aliisque clericis*»; praeterea expunguntur verba: «utque... participet».
- in n. 3° «curet ut *presbyteris* *aliisque clericis* sui...».

Placet § 3, sed postulante Rev.mo primo Consultore deletur verbum «etiam».

Placet § 4 uti iacet.

Can. 36 (CIC, can. 448 § 2)

Hic est textus propositus:

«Vicarius foraneus, qui non sit parochus, residere debet in territorio vicariatus aut saltem in loco non multum distanti, secundum normas ab Episcopo dioecesano definiendas».

Textus approbatur uti iacet.

Can. 37 (CIC, can. 449)

Haec est formula proposita:

«Semel saltem in anno, statuto ab Episcopo tempore, Vicarius foraneus de statu paroeciarum sui districtus, de actione pastorali praesertim in eodem expleta, Episcopo dioecesano rationem reddat».

Postulat Rev.mus septimus Consultor ut verba aliqua addantur de inceptis desideriis, etc.; placet propositio, et textus ita emendatur: «... pastorali in eodem expleta, et *prospecta*, *necnon de votis presbyterorum Episcopo...*».

Can. 38 (CIC, can. 450 § 1)

Hic est textus propositus et approbatus:

«Vicarius foraneus sigillum habeat vicariatus proprium».

Textus placet uti iacet.

C) DE ECCLESIARUM RECTORIBUS

Can. 39 (CIC, can. 479)

Formula quae proponitur sic sonat:

§ 1. Ecclesiarum rectores hic intelliguntur sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitolaris, nec adnexa domui communis Instituti perfectionis, quae in eadem officia celebret.

§ 2. De cappellano sodalium mulierum Instituti perfectionis, sodalium virorum laicalis Instituti perfectionis, aliisve legitimae christifidelium consociationis, serventur particularium canonum praescripta; cappellani vero est universas quae in ecclesia cui praeest celebrentur liturgicas functiones quaeque in eadem habentur exercitia ad vitam spiritualem sodalium pertinentia moderari.

Paragraphus 1 placet uti iacet.

Quoad § 2, animadvertisit Rev.mus secundus Consultor religiosas adesse quae ad moderanda exercitia ad earum vitam spiritualem pertinentia praeoptant alium sacerdotem, diversum a rectore ecclesiae; praeterea, etiam quoad alias fidelium consociationes talis impositio moderatoris spiritualis videtur nimia intromissio in regimine interno consociationum.

His dictis accedunt Exc.mi quintus, octavus et alii Consultores. Adiungit tamen Rev.mus primus Consultor cultum esse publicum, ideoque a superiori moderandum, scilicet a rectore ecclesiae. Alii tamen respondent in canone dicendum esse ad rectorem pertinere curam characteris sacri ecclesiae, non autem moderamen vitae spiritualis sodalium Instituti perfectionis vel christifidelium consociationis; quibus rationibus accedit Rev.mus primus Consultor.

Prae oculis habitis quae dieta sunt, Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textus emendationem, quae ab omnibus approbatur: «... liturgicas functiones moderari atque *prospicere ut nihil in ecclesia fiat sanctitati loci contrarium*».

Can. 40 (CIC, can. 480)

Hic est textus qui proponitur:

§ 1. Ecclesiae rector libere nominatur a loci Ordinario, salvo iure eligendi aut praesentandi, si cui legitime competat; quo in casu loci Ordinarii est rectorem approbare.

§ 2. Eriam si ecclesia pertineat ad aliquod Institutum perfectionis exemptum rector tamen a Superiore nominatus ab Ordinario loci approbari debet.

§ 3. Rector ecclesiae, quae coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, est Superior Seminarii vel collegii, nisi aliter loci Ordinarius constituerit.

Placet § 1, sed proponente Rev.mo primo Consultore, loco «approbare» dicitur «confirmare, vel instituere».

Placet quoque § 2, sed ad mentem praecedentis animadversionis fit haec emendatio: «... a Superiore *praesentatus* ab Ordinario loci *institui* debet».

Placet § 3 uti iacet.

Can. 41 (CIC, can. 481)

Hic est textus qui proponitur et approbatur:

«Functiones paroeciales in ecclesia sibi commissa rectori peragere non licet».

Can. 42 (CIC, can. 482)

Haec est formula quae proponitur;

«Potest rector in ecclesia sibi commissa divina officia etiam sollemnia celebrare, salvis legitimis fundationis legibus, atque dummodo non noceant ministerio paroeciali; in dubio utrum eisdem detimento sint necne, loci Ordinarii est rem dirimere et oportunas quibus vitetur normas praescribere».

Postulat Exc.mus quintus Consultor ut loco «loci Ordinario» dicatur «Vicarii foranei». Alii autem Consultores respondent Vicarios foraneos non habere hanc auctoritatem, ergo textus approbatur uti propositus est.

Can. 43 (CIC, can. 483)

Haec est formula quae proponitur:

Si ecclesia, loci Ordinarii iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine vero incommodo ecclesiam paroeciale adire ibique divinis officiis interesse possint:

1º Loci Ordinarius, comminatis etiam poenis, potest rectori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos, dies iejunii et abstinentiae, aliaque quae ad vitam paroecialem pertinent denuntiet, atque homiliam institutionemque catecheticam ad normam iuris curret.

2º Parochus potest ex eadem ecclesia sanctissimum Sacramentum, ibidem ad normam can. 1265 (recogniti) forte asservatum, pro infirmis desumere.

Quoad n. 1, quaerunt Exc.mi quartus et nonus Consultores ut expungantur verba «comminatis etiam poenis». Hoc tamen aliis Consultoribus non placet, quia vigore debet principium «nulla poena sine lege poenali».

Quoad n. 2, postulat Exc.mus octavus Consultor ut expungantur verba «infirmis» vel enumerentur alii possibles casus (pro militibus, pro sororibus, etc.). Textus tamen non mutatur, quia in casibus extraordinariis rectoris licentia non requiritur.

Postulatur demum ab Exc.mo decimo Consultore ut nova paragraphus addatur, ubi indicetur ecclesiam, quibusdam in casibus, certis fidelium coetibus patere debere. Proponit igitur Rev.mus Secretarius Ad. et accipitur, hanc formulam:

«§ 2. *Ubi necessitas pastoralis id suadeat, Ordinarius loci praecipere potest rectori ut ecclesia pateat certis christifidelium coetibus ibidem officia celebraturis.*»

Can. 44 (CIC, can. 484)

Haec est formula proposita et approbata absque emendationibus:

§ 1. Sine rectoris aliasve legitimi Superioris licentia saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia Eucharistiam celebrare, Sacraenta administrare aliasve sacras functiones paragere; quae vero licentia detur aut denegetur ad normam iuris.

§ 2. Ad verbi Dei praedicationem in ecclesia quod attinet, serventur praescripta canonum 1337-1342 (recognitorum).

Can. 45 (CIC, can. 485)

Hic est textus propositus et ab omnibus approbatus:

— Ecclesiae rector, sub auctoritate loci Ordinarii servatisque legitimis statutis et iuribus quaesitis, obligatione tenetur prospiciendi ut sacrae func-

tiones secundum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona diligenter administrentur, sacrae supellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori provideatur, et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet.

Can. 46 (CIC, can. 486)

Hic est textus propositus et ab omnibus approbatus:

— Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum, loci Ordinarius ex iusta causa, pro suo prudenti arbitrio ab officio amovere potest; quod si rector sit sodalis Instituti perfectionis aut societatis clericorum, servetur, ad eius amotionem quod attinet, praescriptum can. 24, § 2.

III. CONSULTORUM SENTENTIAE EXQUIRUNTUR QUOAD LEGISLATIONEM RECOGNOSCENDAM DE SYNODIS DIOECESANIS

Quaestio imprimis ponitur utrum oporteat necne ut Synodus dioecesana servetur.

Iuxta Exc.mum quintum Consultorem Synodus servanda est, sed cum indole magis pastorali, ut medium nempe quo Consilium presbyterale et Consilium pastorale (si adsit) inter se cooperentur. Rev.mi primus et secundus Consultores obiectionem movent contra verbum «pastorale», cuius realis significatio non bene nota est quodque hodie habet sensum quandoque non rectum; praeterea Synodus dioecesana esse debet praesertim organum iuridicum dioecesanum.

Concordant omnes quoad indolem dioecesanam Synodi: pro provincia enim aut regione ecclesiastica iam praevisa sunt Concilia. Concilium autem sic dictum «pastorale», quod pro tota quadam natione factum est, constituit experientiam praeter ius, immo contra ius.

Fit suffragatio, et omnibus placet ut Synodus dioecesana servetur.

Haec quoque observationes exponuntur:

a) melius est ut tempus non determinetur modo taxativo, nam adiuncta differunt pro dioecesium diversitate (Exc. sextus Consultor).

Iuxta Rev.mum septimum Consultorem, Synodus haberi potest decimo quoque anno, ita tamen ut Episcopus, auditio Consilio presbyterali, Synodi celebrationem procrastinare possit, sed non ultra ventennium. Exc.mus nonnus Consultor censem obligationem aliquam obiectivam hac in re statuendam

esse ita ut Episcopus postulare debeat licentiam S. Sedis — non autem Conferentiae Episcopalis — si Synodus procrastinare velit ultra ventennium;

b) laici periti sint praesentes in Synodo cum voto consultivo (Exc.mus nonus Consultor);

c) hodie in Synodis de multis rebus agitur quae ad Ecclesiam universalem pertinent: clare igitur dicendum est Synodum de iis tantum pertractare debere, quae ad particulares dioecesis necessitates et utilitates attinent (Rev.mus primus Consultor).

His praehabitis, leguntur canones 356-362 CIC, ut generalis habeatur conspectus huius materiae in proxima Coetus sessione pertractandae.

Can. 356 CIC.

Videtur servandus, additis quidem opportunis modificationibus, prae-
sertim quod attinet ad determinationes temporis intra quod Synodus cele-
branda est. Animadvertisit Rev.mus septimus Consultor, quod quinto quo-
que anno fieri debet visitatio pastoralis dioecesis, atque mittenda est ad S.
Sedem relatio de statu dioecesis; hi duo actus sunt valde opportuni ut pree-
paratorii Synodi.

Can. 357 CIC.

Paragraphus prima servari potest, dum § 2 non videtur necessaria.

Can. 358 CIC.

Quoad § 1 quaedam ponuntur quaestiones: utrum nempe explicite no-
minandi sint necne Coadiutor, Episcopi auxiliares et Vicarii episcopales;
Rev.mus primus Consultor addit functionem Consilii presbyteralis et Consilii
pastoralis coincidere cum functione Synodi dioecesanae, quapropter rela-
tiones inter haec diversa organa statui debet. Respondet tamen Rev.mi Secre-
tarius Ad. et secundus Consultor Consilium presbyterale repraesentare pre-
sbyterium dioecesis, quod semper adesse debet, nam Episcopus cum Presby-
teris preeft portioni Populi Dei, quae est dioecesis. Consilium autem pasto-
rale est facultativum et non repraesentat Populum Dei, immo ratione mate-
riae in Synodo tractandae non necessario membra Consilii pastoralis invitanda
sunt ad Synodum. Duo igitur haec organa, Consilium pastorale nullo modo
considerari possunt in eadem linea. His dictis alii accedunt Consultores,
et placet ut laici qui ad Synodum invitari possunt designentur a Consilio pa-
storali si adsit, sed Episcopus alias quidem laicos invitare etiam valeat.

Placet ut serventur nn. 2, 3 et 4 § 1 canonis, non autem nn. 5 et 6. Quoad n. 7 placet quod formula non sit «unus ex unoquoque vicariatu», sed «unus saltem presbyter ab Episcopo eligendus secundum modum ab ipso Episcopo determinatum». Placet quoque ut aliqui diaconi vocentur, ubi ipsi adsint.

Quoad n. 8, norma approbatur iuxta quam invitetur aliqua representatio Institutorum perfectionis iuxta normas iure particulari statuendas.

Quoad § 2, iuxta Rev. mum tertium Consultorem, sufficiet dici «potest alios invitare, si id opportunum iudicaverit».

Can. 359 CIC.

Maneat § 1 et deleatur § 2.

Can. 360 CIC.

Quoad § 1 suggeritur ut formula sit simplicior: «Episcopus (...) e clero et laicis commissiones nominet (vel instituere debet) praeparatorias...».

Etiam § 2 leviter videtur mutanda, nempe loco «ante Synodi sessiones» dicatur «tempore opportuno»; loco «decretorum schema» dicendum forsitan erit: «debet curare ut schemata quaestionum tractandarum tradantur».

Can. 361 CIC.

Maneat, sed expungatur verbum «praeparatoriis».

Can. 362 CIC.

Maneat uti est.

Novus canon

Novus canon redigendus est, in quo dicatur decreta, declarationes etc. Synodi a Sancta Sede approbationem obtinere debere.

Ita expleta disceptatione de quaestionibus hac in sessione pertractandis, preces de more dicuntur et huic X^{ae} adunationi Coetus studii «De Sacra Hierarchia» finis imponitur.

Romae, die 18 decembris 1971.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexa**SCHEMATA PROBATA IN X^a SESSIONE COETUS****I. DE SEDE IMPEDITA ATQUE DE SEDE VACANTE**

Can. 1 (CIC 429, § 1)

Sedes episcopalis impedita intelligitur, si captivitate, relegatione, exilio aut inabilitate, Episcopus dioecesanus plane a munere pastorali in dioecesi procurando praepediatur, ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare valens.

Can. 2 (CIC, can. 429, §§ 1, 2 et 3)

§ 1. Sede impedita, regimen dioecesis, nisi aliter Sancta Sede providebit, competit Episcopo coadiutori, si adsit; eo deficiente aut impedito, aliqui Episcopo auxiliari aut Vicario generali vel episcopali aliive sacerdoti, servato personarum ordine statuto in elenco, qui quamprimum a capta dioecesis possessione ab Episcopo dioecesano componendus et singulis saltem triennis renovandus, a Cancellario sub secreto servandus atque insimul cum Metropolita communicandus est.

§ 2. Si deficiat aut impediatur Episcopus coadiutor atque elenches de quo in § 1 non suppetat, Collegii consultorum, de quo in can. 11 (de Consilio presbyterali) est sacerdotem eligere, qui dioecesim regat.

§ 3. Qui dioecesis regimen, ad normam §§ 1 vel 2, suscepit, quamprimum Sanctam Sedem moneat de sede impedita ac de suscepto munere.

Can. 3 (CIC, can. 429, § 3)

Quilibet ad normam can. 2 vocatus ut ad interim dioecesis curam pastoralem gerat, etiam si sit Episcopus coadiutor, pro tempore quo Sedes impeditur tantum, in cura pastorali dioecesis exercenda tenetur obligationibus atque potestate gaudet quae iure Administratori dioecesano competunt.

Can. 4 (CIC, can. 429, § 5)

Si Episcopus dioecesanus poena ecclesiastica a munere exercendo prohibetur, Metropolita, eoque deficiente aut si de eodem agatur, antiquior promotione inter suffraganeos, ad Sanctam Sedem statim recurrit, ut ipsa pro-

videat; quod si agatur de dioecesi aut de praelatura de quibus in can. 285, obligatione recurrendi tenetur Metropolita qui legitime electus est.

DE SEDE VACANTE

Can. 5 (CIC, can. 430, § 1)

Sedes episcopalis vacat Episcopi dioecesani morte, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata.

Can. 6 (CIC, can. 430, § 2)

Vim habent omnia quae gesta sunt a Vicario generali aut Vicario episcopal, usque dum certam de obitu Episcopi dioecesani notitiam acceperint, itemque quae ab Episcopo dioecesano aut a Vicario generali vel episcopal gesta sunt, usque dum certam de memoratis acibus pontificiis notitiam receperint.

Can. 7 (CIC, can. 430, § 3)

§ 1. A certa translationis notitia, Episcopus intra duos menses debet dioecesim *ad quam* petere eiusque canonicam possessionem assumere ad normam can. 2, § 3 de Episcopis dioecesanis, et a die captae possessionis dioecesis novae, dioecesis *a qua* plene vacat.

§ 2. A certa translationis notitia usque ad canonicam novae dioecesis possessionem, Episcopus translatus in dioecesi *a qua*:

- 1) Administratoris dioecesani potestatem obtinet eiusdemque obligationibus tenetur, cessante qualibet Vicarii generalis et Vicarii episcopal potestate, salvo tamen can. 7, § 2 (de Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus);
- 2) honorifica Episcoporum dioecesanorum privilegia retinet;
- 3) integros percipit fructus mensae episcopal, ad normam can. 194, § 2.

Can. 8 (CIC, can. 431)

Sede vacante, nisi adsit Administrator Apostolicus aut aliter a Sancta Sede provisum fuerit, regimen dioecesis, usque ad constitutionem Administrators dioecesani, devolvitur ad Episcopum auxiliarem, et si plures sint ad eorum promotione antiquorem, atque deficiente Episcopo auxiliari ad Caput Curiae; ipse autem sine mora convocet collegium ad deputandum Administratorem dioecesanum competens.

Can. 9 (CIC, can. 432)

§ 1. Intra octo dies ab accepta vacationis sedis episcopalis notitia, Administrator dioecesanus, qui nempe dioecesim ad interim regat, eligendus est a Collegio consultorum; in dioecesibus vero in quibus iure electionis aut presentationis Episcopi instituendi gaudet Capitulum cathedralis, ab hoc Capitulo una cum Collegio consultorum, in unum collegium coadunatis, moderante in hoc casu qui praest Capitulo.

§ 2. Si intra praescriptum tempus Administrator dioecesanus, quavis de causa, non fuerit legitime electus, eiusdem deputatio devolvitur ad Metropolitam, et si vacans sit ipsa Ecclesia metropolitana aut metropolitana simul et suffraganea, ad Episcopum suffraganeum promotione antiquorem.

§ 3. Etiam vacante dioecesi aut abbatia vel praelatura de quibus in can. 285, « si intra octiduum Administrator dioecesanus legitime electus non fuerit, eundem Metropolita, ad normam citati canonis electus constitutus, nisi constitutione abbatiae vel praelatura aliter provisum fuerit ».

Can. 10 (CIC, can. 432, § 4)

Episcopus auxiliaris, et, si deficiat, Caput Curiae quantocius de morte Episcopi, itemque electus in Administratorem dioecesanum de sua electione Sedem Apostolicam certiorem faciant.

Can. 11 (CIC, can. 433)

§ 1. Unus deputetur Administrator dioecesanus, reprobata contraria consuetudine; secus electio irrita est.

§ 2. Administrator dioecesanus ne insimul sit oeconomus; quare, si oeconomus dioecesis in administratorem electus fuerit, alium pro tempore oeconomum designet Consilium a rebus oeconomicis.

Can. 12

Administrator dioecesanus eligatur ad normam can. (de electione), et ad eius validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute maior, demptis suffragiis nullis; electio ut valeat, ab electo acceptari debet.

Can. 13 (CIC, can. 434)

§ 1. Valide ad munus Administrators dioecesani deputari tantum potest sacerdos, qui trigesimum quintum aetatis annum expleverit, et ad

eandem vacantem sedem non fuerit iam electus, nominatus vel praesentatus.

§ 2. In Administratorem dioecesanum eligatur sacerdos qui sit doctrina et prudentia praestans.

§ 3. Si praescriptae § 1 conditiones posthabitae fuerint, Metropolita, aut, si ipsa Ecclesia metropolitana vacans fuerit, Episcopus suffraganeus promotione antiquior, agnita rei veritate, Administratorem pro ea vice deputet; actus autem illius contra praescripta § 1 electi sunt ipso iure nulli.

Can. 14 (CIC, can. 435, § 1)

Qui, sede vacante, Episcopus auxiliaris aut Caput Curiae, ante deputationem Administratoris dioecesani, dioecesim regat, potestate gaudet quam ius Vicario generali agnoscit.

Can. 15 (CIC, can. 435)

§ 1. Administrator dioecesanus ipso iure tenetur obligationibus et gaudet potestate Episcopi dioecesani, iis exclusis quae rei natura aut ipso iure excipiuntur.

§ 2. Administrator dioecesanus, ipsa acceptata electione si fidei professionem de qua in cann. 1406-1408 ediderit, statim potestatem de qua in § 1 obtinet, quin requiratur ullius confirmatio.

Can. 16 (CIC, can. 435, § 3)

Illi qui ad interim dioecesis regimen curant vetantur quidpiam agere quod vel dioecesi vel episcopalibus iuribus praeiudicium aliquod afferre possit; in specie prohibentur ipsi, atque perinde alii quicumque, tum Collegii consultorum membra tum extranei, quominus sive per se sive per alium Curiae episcopalnis documenta quaelibet subtrahant vel destruant, aut in iis quaedam immutent.

Can. 17 (CIC, can. 436)

Sede vacante nihil innovetur.

Can. 18 (CIC, can. 440)

Administrator dioecesanus obligatione tenetur residendi in dioecesi et applicandae Missae pro populo ad normam can. 10 (de Episcopis dioecesanis).

Can. 19 (CIC, can. 443)

§ 1. Administratoris dioecesani remotio Sanctae Sedi reservatur; renuntiatio quae fiat, authentica forma exhibenda est Collegio ad electionem competenti ad normam can. 9, § 1, a quo tamen, ut valeat, acceptari non debet; remoto aut renuntiante Administratore dioecesano, aut eodem defuncto, alias eligatur Administrator dioecesanus ad normam can. 9.

§ 2. Cessat praeterea munus Administratoris dioecesani per captam a novo Episcopo dioecesis possessionem ad normam can. 2, § 3 (de Episcopis dioecesani).

Can. 20 (CIC, can. 444)

Episcopus dioecesanus, capta dioecesis possessione, ab iis qui ad interim regimini dioecesis providerint necnon a dioecesis oeconomia adimplete muneris rationem exigere debet;

II. DE PAROECIIS ET DE PAROCHIS

Can. 1 (novus)

§ 1. Paroecia est certa quae in Ecclesia particulari constituitur populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur uni sacerdoti, paroeciae parocho aut, ubi adiuncta id requirant, pluribus insimul sacerdotibus sub moderamine eorum unius cooperantibus ad normam iuris.

§ 2. Pro regula habeatur ut paroecia uni concredatur sacerdoti, qui sit eiusdem parochus; certis tamen adiunctis id requirentibus, paroecia cura committi potest pluribus in solidum sacerdotibus, ea tamen lege tantum ut eorum unus curae pastoralis exercendae sit moderator, qui nempe actionem coniunctam dirigat atque de eadem coram Episcopo respondeat.

§ 3. Si ob sacerdotum penuriam, Episcopus dioecesanus aestimaverit participationem in exercitio curae pastoralis paroeciae concredendam esse alicui personae sacerdotali chartere non insignitae aut personarum communitati, sacerdotem designet aliquem qui, cum iuribus parochi propriis, uti proprius paroeciae pastor, curam pastoralem moderetur.

Can. 2 (novus)

Paroecia regula generali sit territorialis, quae scilicet omnes complectatur christifideles certi territorii; ubi vero, de iudicio Episcopi dioecesani, auditio Consilio presbyterali, id expedit, constituantur paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia ratione determinatae.

Can. 3 (novus)

§ 1. Parochus est sacerdos, qui, tanquam eius pastor proprius, paroeciae sibi commissae cura pastorali defungitur, sub auctoritate Episcopi dioecesani, cuius in partem ministerii Christi vocatus est, ut pro populo sibi concredito munera docendi, sanctificandi et regendi exsequatur, cooperantibus etiam aliis presbyteris vel diaconis atque conferentibus ipsis christifidelibus laicis, ad normam iuris.

§ 2. Qui, adiunctis id requirentibus, plures insimul cura pastorali paroeciae defunguntur, ut pastores populi sibi commissi, sub auctoritate Episcopi dioecesani, coniuncti eadem munere exsequuntur, ita tamen ut qui eorum curae pastoralis universae moderamen habeat solus instruatur ordinaria potestate regiminis seu iurisdictionis in foro externo quam ius parocho agnoscit.

Can. 4 (CIC, can. 451, §§ 2-3)

§ 1. Parocho aequiparatur, cum omnibus officiis et iuribus paroecialiibus, sacerdos qui vacante paroecia ab Ordinario designatur ad curam pastoralem pro tempore exercendam, itemque vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior, qui, parocho impedito aut absente, eiusdem locum tenet, ad normam can.

§ 2. Vicarius qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastor proprius constituitur, in omnibus aequiparatur parocho, iis exclusis quae iure vel universalis vel particulari excipiuntur.

§ 3. Ad cappellanos pro militibus aliisve peculiaribus personarum coetibus quod attinet, standum est specialibus Sanctae Sedis statutis.

Can. 5 (CIC, can. 452)

§ 1. Parochus persona iuridica ne esto, Episcopus dioecesanus autem auctoritate propria, non vero Administrator dioecesanus nec sine speciali mandato Vicarius generalis aut episcopalis, potest, de consensu competen-

is Superioris, paroeciam committere Instituto perfectionis aliive societati clericorum, etiam in ecclesia Instituti aut societatis eam erigendo, ea tamen lege ut unus sacerdos sit paroeciae parochus aut si cura pastoralis pluribus committatur, moderator.

§ 2. Paroeciae commissio de qua in § 1 potest fieri sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus; in utroque casu fiat mediante conventione scripta inter Episcopum dioecesanum et Superiorum competentem inita, qua, inter alia, expresse et accurate definiantur quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant.

(Cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 33, § 1).

Can. 6 (CIC, can. 453)

§ 1. Ut quis valide in parochum assumatur, requiritur sit in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Sit insuper sana doctrina et morum probitate praestans, animarum zelo et spiritu missionali aliisque virtutibus, humanis quoque, praeditus atque qualitatibus gaudeat quae ad paroeciam de qua agitur curandam iure sive universalis sive particulari requiruntur.

Can. 7 (CIC, can. 454)

Qui in paroecia pastorali curae praeficitur qua paroeciae parochus aut moderator, ad indeterminatum tempus nominetur; ad certum tamen tempus ab Episcopo dioecesano nominari potest, si ita ab Episcoporum Conferentia regionis, per decretum ad normam can. (...) editum, statutum fuerit.

Can. 8 (CIC, can. 455)

§ 1. Ius nominandi et instituendi parochum necnon sacerdotes quibus in solidum paroeciae cura committitur eorumque moderatorem competit Episcopo dioecesano, non autem, nisi de speciali mandato, Vicario generali aut episcopali.

§ 2. Parochum necnon sacerdotes de quibus in § 1 libere nominat Episcopus, salvo praescripto § 3; in iisdem tamen designandis, Episcopus rationem habeat necessitatum pastoralium paroeciae; quare vicarium foraneum consulat, et, si id opportunum duxerit, de necessitatibus paroeciae deque dotibus specialibus personae ad curam pastoralem in paroecia de qua agitur exercendam requisitis, audiat certos presbyteros, immo vel christifideles laicos sapientia praestantes.

§ 3. (CIC, can. 456). Salvo iure particulari salvisque conventionibus legitime inter Episcopum dioecesanum et Superiorem initis, ad paroecias alicui sodali Instituti perfectionis aut clericorum societatis concredendas, sive paroecia Instituto societative commissa sit ad normam can. 5 sive non, Superior secundum constitutiones competens sacerdotem sui Instituti aut societatis praesentat Episcopo dioecesano; qui, servato praescripto § 2, institutionem concedit.

Can. 9 (CIC, can. 455, § 2)

Sede vacante aut impedita ad normam can. 1 (de Sede impedita), ad Administratorem dioecesanum aliumve dioecesim ad interim regentem pertinet:

- 1) vicarios paroeciales constituere, ad normam cann. 472-476;
- 2) institutionem concedere sacerdoti sodali Instituti perfectionis aut societatis clericorum, ad paroeciam praesentato a Superiore ad normam can. 8, § 3;
- 3) parochos sacerdotesve de quibus in can. 8, § 1, nominare, si sedes saltem ab anno vacaverit aut impedita sit.

Can. 10 (CIC, can. 458)

Vacanti paroeciae curet Episcopus dioecesanus providere ad normam can. 6 (de officiis ecclesiasticis; in CIC, can. 155), nisi peculiaria locorum aut personarum adjuncta, prudenti Episcopi iudicio, collationem officii paroecialis differendum suadeant.

Can. 11 (CIC, can. 459)

§ 1. Episcopus dioecesanus vacantem paroeciam illi conferat, quem, omnibus perpensis adjunctis, idoneum aestimet ad paroeciale curam in eadem implendam, omni personarum acceptiones seclusa.

§ 2. Si id expedire iudicaverit, potest Episcoporum Conferentia itemve Episcopus dioecesanus statuere ut presbyteri, post certum ab ordinacione annorum numerum, examini super doctrina subiificantur, quo eorundem habilitas ad munus paroeciale assumendum probatur.

Can. 12 (CIC, can. 460)

§ 1. Parochus ad normam can. 7 (de officiis ecclesiasticis, in CIC, can. 156) unius paroeciae tantum ut proprius pastor curam paroeciale habeat;

ob penuriam vero sacerdotum aut alia adiuncta possunt, etiam pro tempore, quaedam paroeciae aequae principaliter uniri.

§ 2. In eadem paroecia unus tantum habeatur parochus, aut, si paroeciae cura pluribus insimul committatur sacerdotibus, eorum unus tantum sit eiusdem curae moderator, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio.

Can. 13 (CIC, can. 461)

§ 1. Qui ad curam pastoralem paroeciae gerendam nominatus aut institutus est, eandem obtinet a momento captae possessionis; ante actum possessionis capienda, aut in ipso, fidei professionem edere debet de qua in can. 1406, § 1, n. 7.

§ 2. Parochum moderatoremque curae paroecialis in possessionem mittit loci Ordinarius aut sacerdos ab eodem delegatus, servato modo lege particulari praescripto aut legitima consuetudine recepto; iusta tamen de causa potest idem Ordinarius ab eo modo dispensare; quo casu dispensatio locum tenet captae possessionis.

§ 3. Pro ceteris sacerdotibus, quibus, ducente moderatore, insimul cura paroecialis committitur, fidei professio locum tenet captae possessionis.

§ 4. Loci Ordinarius praefiniat tempus intra quod possessio paroeciae capi debeat; quo inutiliter praeterlapsa, nisi iustum obstiterit impedimentum, paroeciam vacare declaret ad normam can. 188, n. 2.

Can. 14 (CIC, cann. 467, 468, 469)

§ 1. Parochus obligatione tenetur providendi ut verbum Dei omnibus in paroecia sibi commissa degenitibus annuntietur; quare, curet ut christifideles in fidei veritatibus recte edoceantur, praesertim homilia diebus dominicis et festis in regione de pracepto habenda, ad normam can. 1339 (novi) necnon catechetica institutione tradenda, ad normam cann. 1345-1352 (novae redactionis), utque spiritu evangelico imbuantur; atque omni ope satagat, adsociata etiam sibi eorundem christifidelium opera, ut nuntius evangelicus ad eos quoque perveniat, qui a religione colenda recesserint aut veram fidem non profiteantur.

§ 2. Quo munus sanctificationis debite expleat, consulat ut Eucharistica celebratio centrum sit congregationis fidelium paroecialis; adlaboret ut christifideles, quibus quidem legitimate petentibus sacramenta administrare debet, per ritam et devotam eorum receptionem pascantur utque ad SS.

Eucharistiae necnon Poenitentiae sacramenta frequenter accedant; satagat ut iidem conscie et actuose in Sacra Liturgia partem habeant.

§ 3. Pastor paroeciae proprius cum sit, curet ut populum sibi commissum cognoscat; consociata cum cooperatoribus opera, prospiciat ut vitae christianaee incrementum foveatur tum in singulis christifidelibus, tum in familiis, tum in consociationibus, tum in universa paroeciali communitate; domos et scholas visitet; provideat ut iuvenum adolescentumque peculiaris cura habeatur; legitima incepta ad unitatem inter christianos fovenda promoteat; adlaboret ut christifideles in operibus apostolatus partem habeant atque opera ad evangelizationem gentium provehenda sustineant.

§ 4. Pauperes tenuioresque peculiari diligentia prosequatur; fortuna adversa conflictatos levet ac sustineat; quae ad iustitiam et caritatem pertinent foveat ac promoteat.

§ 5. Aegrotantes invisat, eos confortans, et quos in vitae discriminem novit sollicite Sacramentis reficiat, eisdem concedens quoque benedictionem apostolicam cum adjuncta indulgentia plenaria, quam quidem parocho aliive sacerdoti infirmis assistenti facultas est impertiendi.

(Cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 30, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 5-6; PAULUS VI, Constitutio apostolica *Indulgenciarum doctrina*, V, n. 18).

§ 6. Provideat ut migrantibus, peregrinis ac itinerantibus in sua paroecia degentibus, cura pastoralis eisdem aptata non deficiat.

Can. 15 (novus)

§ 1. Parochus operam det ut christifideles suae curae commissi in amore habeant Christi Ecclesiam universam suamque, in qua eadem exstat, dioecesim, utque parati sint ad cooperandum cum aliis eiusdem communitatibus ac inceptis.

§ 2. Adlaboret ut propriam communitatem paroeciale colant, spiritu communitalis imbuti; quare eosdem hortetur ut ecclesiam paroeciale adeant, ibidem in divinis officiis partem habentes et verbum Dei audientes.

§ 3. Agnoscat tamen libertatem qua christifideles gaudent alios adeundi sacerdotes aliasque frequentandi ecclesias.

Can. 16 (CIC, can. 462)

Functiones ab ipso parocho implendae, ab aliis autem nonnisi eodem consentiente exercendae, praeter alias iure particulari determinatas, sunt sequentes:

- 1° administratio forma sollemniore baptismi;
- 2° Sanctissimae Eucharistiae publica ad infirmos in propria paroecia delatio;
- 3° administratio sacramenti confirmationis iis qui in periculo mortis versantur, ad normam can. 4 (de Sacramento Confirmationis);
- 4° administratio Viatici necnon unctionis infirmorum, salvo praescripto can. 514;
- 5° denuntiatio de recipiendis sacris ordinibus atque de ineundis nuptiis praescripta; assistentia matrimoniis et benedictio nuptiarum;
- 6° persolutio funerum;
- 7° benedictio domorum ad normam librorum liturgicorum, sabbato sancto aliove, pro locorum consuetudine, tempore;
- 8° fontis baptismalis tempore paschali benedictio, ductus processionalium extra ecclesiam necnon benedictiones extra ecclesiam sollemnes;
- 9° celebratio Eucharistica sollemnior cum homilia diebus dominicis et festis de pracepto.

Can. 17 (novus)

Sacerdotes quibus insimul cura pastoralis alicuius paroeciae diversarumve paroeciarum sub moderamine eorum unius committatur, singuli, iuxta ordinationem sub ductu moderatoris stabilitam, obligatione tenentur persolvendi munera et functiones de quibus in cann. 14 et 15; uni autem moderatori competunt potestas ordinaria matrimoniis assistendi necnon facultates dispensandi ipso iure parochis concessae, itemque ipsi incumbit obligatio de qua in can. 23.

Can. 18 (CIC, can. 464)

§ 1. In omnes suae curae pastorali commissos, parochus itemque, ducente moderatore, singuli sacerdotes quibus coniunctim pastoralis cura committatur ex officio obligatione tenentur curam animarum exercendi.

§ 2. Potest Episcopus dioecesanus, iusta et gravi de causa, certas communitates personarum et pias domos, quae in paroeciae territorio sint et iure non exemptae, a parochi cura ex toto aut ex parte subducere.

Can. 19 (CIC, can. 463)

Licet paroeciale officium alius expleverit, ipsi parocho, aut diversis simul presbyteris quibus paroecialis cura committatur, praestationes cedunt

quae ad normam iuris debitae sunt, nisi de contraria offerentium voluntate constet pro parte praestationem debitam excedente.

Can. 20 (novus)

In omnibus negotiis iuridicis parochus, aut curae pastoralis moderator, personam gerit paroeciae.

Can. 21 (CIC, can. 465)

§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut parochus alibi commoretur, etiam extra paroeciam praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne paroecialium perfunctio munerum exinde detrimentum patiatur.

§ 2. Parocho, nisi gravis obstet ratio, singulis hebdomadibus sit unus dies feriatus; praeterea, vacationis gratia, ipsi licet quotannis a paroecia abesse per unum mensem continuum aut intermissum; loci tamen Ordinarius diuturnius vacationum tempus, iusta de causa, concedere potest.

§ 3. In vacationis tempore dies non computantur quibus semel in anno parochus spirituali recessui vacat, iuxta normas iure particulari determinatas; nec ii quibus, consentiente Ordinario, cursum frequentet ad profundiorem formationem theologicam vel pastoralem adquirendam.

§ 4. Cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus legitimam causam habeat et loci Ordinarium certiorem reddat; pro tempore eiusdem absentiae, nisi loci Ordinarii aliter providerit, curam pastoralem, cum omnibus facultatibus in his quae ad eandem curam pertinent, ipso iure assumit vicarius paroecialis aut, si plures sint, eorum nominatione antiquior; si vero desit vicarius paroecialis et loci Ordinarius aliter non providerit sui loco relinquat parochus aut parochum vicinum aut alium sacerdotem, sive saecularem sive, de licentia eius Superioris, religiosum; qui sacerdotes si probantur a Vicario foraneo, ipso iure facultates parochi obtinent.

§ 5. Etiam pro brevioris absentiae tempore parochus legitimam causam habeat; eiusdem locum ipso iure tenet vicarius paroecialis ad normam § 4; qui si desit, parochus curet ut necessitatibus christifidelium provideatur, etiam per delegatum sacerdotem qui paroeciae curam gerat.

§ 6. Singuli sacerdotes quibus insimul cura pastoralis paroeciae committitur, tenentur obligatione de qua in § 1 et gaudent iure de quo in §§ 2 et 3; moderator ut ultra hebdomadam absit, eget legitima causa; insuper alium designet ex coetu sacerdotem qui eius locum pro tempore teneat.

Can. 22 (CIC, can. 466)

§ 1. Parochus, post captam paroeciae possessionem, obligatione teneatur Missam pro populo sibi commisso celebrare singulis diebus dominicis atque diebus festis in sua dioecesi de pracepto.

§ 2. Parochus Missam pro populo diebus de quibus in § 1 per se ipse celebrare et applicare debet; si vero ab hac celebratione legitime impediatur, iisdem diebus per alium, vel aliis diebus pe se ipse applicet.

§ 3. Parochus qui plurium paroeciarum curam habeat, alternis vicibus in ecclesia paroeciali singularum paroeciarum sibi commissarum Missam pro populo celebret, nisi tamen rerum adiuncta Missam alibi celebrandam suadeant.

§ 4. Parochus qui obligationi de qua in §§ 1, 2 et 3 non satisficerit, quamprimum pro populo tot Missas applicet quot omisit.

§ 5. Si cura paroecialis pluribus insimul committatur sacerdotibus, iuxta ordinationem ab eisdem ducente moderatore stabilitam eorum unus implere debet obligationem de qua in §§ 1, 2, 3 et 4, qua vero omnes in solidum tenentur.

Can. 23 (CIC, can. 470)

§ 1. In unaquaque paroecia habeantur libri paroeciales, liber scilicet baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, aliique secundum Episcoporum Conferentiae aut Episcopi dioecesani praescripta; prospiciat parochus ut eidem libri, servatis eorundem praescriptis accurate conscribantur atque diligenter asserventur; liber quoque de statu animarum, in quantum id fieri possit, conficiatur.

§ 2. In libro baptizatorum adnotentur quoque confirmatio, necnon quae ad christifidelium statum canonicum pertinent, ratione matrimonii, salvo quidem praescripto can. 1107, ratione adoptionis, itemque ratione ordinis sacri suscepti, professionis religiosae emissae necnon mutati ritus; eaeque adnotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur.

§ 3. Quolibet anno exeunte parochus authenticum exemplum librorum baptizatorum, confirmatorum et matrimoniorum ad Curiam episcopalem transmittat.

§ 4. Testimonia quae de statu christifidelium canonico dantur ab ipso parocho eiusve delegato subscribantur et sigillo paroeciae muniantur.

§ 5. Unicuique paroeciae sit proprium sigillum; parochus provideat ut eodem muniantur acta omnia quae momentum iuridicum habere possunt.

§ 6. In unaquaque paroecia habeatur tabularium seu archivum, in quo libri paroeciales, etiam antiquiores, custodiantur una cum Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis utilitatisve causa servandis; quae omnia, ab Episcopo dioecesano eiusve delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda, parochus caveat ne ad extraneorum manus perveniant.

§ 7. Libri paroeciales antiquiores quoque diligenter custodiantur, secundum praescripta iure particulari statuta.

Can. 24 (novus)

§ 1. Parochus ab officio cessat amotione aut translatione ab Episcopo dioecesano ad normam iuris peracta, renuntiatione iusta de causa ab ipso parocho facta et, ut valeat, ab Episcopo acceptata, necnon lapsu temporis, si iuxta iuris particularis de quo in can. 7 praescripta ad tempus determinatum constitutus fuerit.

§ 2. Parochum qui est sodalis Instituti perfectionis aut societatis clericorum libere, pro suo prudenti arbitrio, amovere potest Episcopus dioecesanus, monito Superiore ad normam constitutionum competenti; eundem amovere debet id requirente eodem Superiore, qui vero nec ipse rationem sui iudicii Episcopo aperire tenetur, salvo quidem recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

§ 3. Parochus expleto septuagesimo quinto aetatis anno, renuntiationem ab officio exhibeat proprio Episcopo, qui, omnibus personae et loci inspectis adjunctis, de eadem acceptanda aut differenda decernat; renuntiantis congruae sustentationi et habitationi ab Episcopo dioecesano providendum est, attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis.

Can. 24 (bis)

§ 1. Cum vacat paroecia aut parochus, ratione captivitatis, exsilii vel relegationis, inhabilitatis vel infirmitatis valetudinis aliasve causae a munere pastorali in paroecia exercendo paeepediatur, a loci Ordinario quamprimum nominetur, aut ad normam can. 8 § 3 instituatur, administrator paroecialis, sacerdos scilicet qui parochi vicem pro tempore suppleat ad normam can. 24 (ter).

§ 2. Administrator paroecialis constitui etiam potest, si Episcopus dioecesanus id expedire iudicaverit, casu quo absentia parochi ultra mensem sit duratura.

Can. 24 (ter)

§ 1. Vacante paroecia itemque parocho ob rationes de quibus in can. 24 (bis), § 1 a munere pastorali exercendo prorsus impedito, administrator paroecialis iisdem adstringitur officiis iisdemque gaudet iuribus ac parochus.

§ 2. Parocho ratione inhabilitatis infirmaeve valetudinis a munere explendo pro parte impedito, aut ad normam can. 24 (bis) absente, administrator paroecialis iis adstringitur obligationibus gaudetque iuribus, quae actu constitutionis definiuntur.

§ 3. Administratori paroeciali nihil agere licet, quod praeiudicium afferre possit iuribus parochi aut damno esse possit bonis paroecialibus.

§ 4. Administrator paroecialis post expletum munus eiusdem parocho rationem reddat.

Can. 24 (quater)

§ 1. Vacante paroecia itemque parocho a munere pastorali exercendo penitus impedito, ante administratoris paroecialis constitutionem, paroeciae regimen interim assumat vicarius paroecialis, et si plures sint eorum nominatione antiquior; atque, si vicarii desint, parochus vicinior; Vicarii foranei est determinare quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior sit habenda, nisi iam iure particulari definitum fuerit.

§ 2. Qui paroeciae regimen ad normam § 1 assumpsit, loci Ordinarii de paroeciae vacatione statim certiore faciat.

III. DE VICARIIS PAROECIALIBUS

Can. 25 (CIC, can. 476 §§ 1-2)

§ 1. Ubi ad pastoralem paroeciae curam debite adimplendam necesse aut opportunum sit, parocho adiungi possunt unus aut plures vicarii paroeciales, sacerdotes nempe qui, tanquam parochi cooperatores eiusque sollicitudinis participes, operam in ministerio pastorali praestent, communum parocho consilio et studio, atque sub eiusdem auctoritate, munera docendi, sanctificandi et regendi communitatem christifidelium paroecialem exequentes.

§ 2. Vicarius paroecialis constitui potest sive ut opem ferat in universo ministerio pastorali explendo, et quidem aut pro tota paroecia aut pro de-

terminata paroeciae parte aut pro certo paroeciae christifidelium coetu, si-
ve etiam ut operam impendat ad certum ministerium in diversis insimul
determinatis paroeciis persolvendum.

Can. 26 (novus)

§ 1. Ut quis valide in vicarium paroecialem constituatur, requiritur sit
in sacro presbyteratus ordine constitutus.

§ 2. Vicarius constituatur sacerdos qui sana doctrina morumque pro-
bitate praestat quique iis gaudet qualitatibus quae ad curam pastoralem er-
ga populum de quo agitur idonee participandam requiruntur.

Can. 27 (CIC. can. 476 §§ 3-4).

§ 1. Sacerdotem clero diocesano adscriptum libere vicarium paroecia-
lem nominat loci Ordinarius, auditio parocho aut parochis paroeciarum
pro quibus constituitur, necnon, si opportunum id iudicaverit, vicario fo-
raneo seu decano.

§ 2. Ad sodalem Instituti perfectionis aut clericorum societatis vica-
rium constituendum quod attinet, Superior Instituti aut societatis secun-
dum constitutiones competens eum praesentat loci Ordinario, cuius est,
servato praescripto § 1, eum instituere.

Can. 28 (CIC, can. 476 § 6)

§ 1. Vicarii paroecialis obligationes et iura statutis dioecesanis necnon
litteris loci Ordinarii definiuntur, magis autem in specie parochi commis-
sione determinantur; unicuique autem vicario paroeciali proprium ipsi la-
boris apostolici campum assignet loci Ordinarius, si agatur de vicario plu-
ribus insimul paroeciis dato, loci Ordinarius aut paroeciae parochus, si
agatur de vicario pro una paroecia constituto.

§ 2. Nisi aliud expresse litteris loci Ordinarii caveatur, vicarius paroecia-
lis ratione officii obligatione tenetur parochum in universo paroeciali
ministerio explendo adiuvandi, excepta quidem applicatione Missae pro
populo, atque, si res ferat, parochi vicem supplendi.

§ 3. Vicarius paroecialis regulariter de inceptis pastoralibus prospectis
et susceptis ad parochum referat, ut parochus et vicarius aut vicarii, concor-
di semper voluntate et coniunctis viribus, pastorali curae providere valeant
paroeciae, cuius insimul sunt sponsores.

Can. 29 (novus)

Nisi aliter loci Ordinarius providerit, absente parocho, ad normam can. 21 § 4 et § 5, eiusdem locum tenet, cum omnibus parochi facultatis et iuribus in his quae ad curam pastoralem pertinent, vicarius paroecialis eidem paroeciae datus et, si plures sint, eorum nominatione antiquior; qui quidem omnibus etiam obligationibus tenetur parochi, excepta obligatione applicandi Missam pro populo.

Can. 30 (CIC, can. 476 § 5)

§ 1. Vicarius paroecialis obligatione tenetur in paroecia, aut si pro diversis simul paroeciis constitutus est in earum aliqua, residendi, secundum praescripta statutorum dioecesis vel probatas consuetudines aut Episcopi dioecesani praescriptum; loci tamen Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut extra paroeciam resideat, praesertim in domo pluribus sacerdotibus communi, dummodo ne pastoralium perfunctio munera exinde detrimentum capiat.

§ 2. Curet loci Ordinarius, ad normam can. 134 (recogniti), ut inter parochum et vicarios aliquod vitae consortium foveatur, utque consuetudo vitae communis in domo paroeciali, ubi id fieri possit, provehatur.

§ 3. Ad tempus vacationis quod attinet, vicarius paroecialis eodem gaudet iure ac parochus, ad normam can. 21, §§ 2 et 3.

Can. 31 (novus)

Praestationes quas occasione perfuncti ministerii pastoralis christifideles offerunt ad parochum deferat vicarius paroecialis nisi de contraria offerentium voluntate constet quoad praestationes non debitas; Episcopo dioecesano, auditio Consilio presbyterali, competit statuere praescripta quibus aequae praestationum inter parochum et vicarios distributioni provideatur.

Can. 32 (CIC, can. 477 § 1)

Vicarius paroecialis e clero dioecesano ab Episcopo dioecesano aut Administratore dioecesano, non autem a Vicario generali, aut episcopali sine speciali mandato, amoveri potest, iusta de causa, prudenti eius arbitrio, naturali quidem aequitate servata; vicarius paroecialis sodalis alicuius Instituti perfectionis aut societatis clericorum amoveri potest ad normam can. 24 § 2.

IV. DE VICARIIS FORANEIS SEU DECANIS

Can. 33 (CIC, can. 445)

§ 1. Vicarius foraneus seu decanus seu archipresbyter est sacerdos qui vicariatu foraneo seu decanatu, de quo in can. 8 (de circumscriptionibus ecclesiasticis),* ab Episcopo dioecesano praeficitur, ut ibidem nomine Episcopi munera expleat in canonibus quae sequuntur definita.

§ 2. Vicarius foraneus nominatur ab Episcopo dioecesano auditis sacerdotibus in vicariatu de quo agitur ministerium impletibus.

Can. 34 (CIC, can. 446)

§ 1. Ad officium vicarii foranei, quod cum officio parochi certae paroeciae non ligatur, Episcopus eligat sacerdotem quem, inspectis loci ac temporis adiunctis, ad munera de quibus in can. 35 exercenda idoneum iudicaverit, et quidem sive aliquem parochum vicariatus foranei seu decanatus sive sacerdotem qui officio parochi non fungitur.

§ 2. Vicarius foraneus nominetur ad certum tempus, secundum praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta.

§ 3. Vicarium foraneum iusta de causa, pro suo prudenti arbitrio, Episcopus dioecesanus ab officio libere amovere potest.

Can. 35 (CIC, can. 447-448)

§ 1. Vicario foraneo, praeter facultates quas ei legitime tribuunt Concilium particulare vel Episcoporum Conferentia, Synodus dioecesana vel Episcopus, atque attentis normis ab iisdem statutis, officium et ius est potissimum:

1) universa quae ad pastoralem actionem studia et incepta in Vicariatu foraneo sibi commisso suscipiunt clerici, religiosi et laici, promovendi, moderandi et coordinandi;

* *Can. 8 de circumscriptionibus ecclesiasticis*, haec quae sequuntur habet praescripta:

§ 1. Ut curae pastorali in paroeciis quam maxime provideatur, etiam per communem, ubi id expediat, diversarum paroeciarum actionem, plures parociae vicinae coniungantur in vicariatus foraneos, qui etiam ve- niunt nomine decanatus vel archipresbyteratus, quibusque praesunt vicarii foranei, decani seu archipresbyteri: horum est actionem pastoralem communem in territorio sibi commisso promovere ac moderari, atque paroecias eiusdem territorii invigilare, ad normam iuris (cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 19).

§ 2. Ubi, ob locorum vel temporum adiuncta, Vicariatus foranei de iudicio Episcopi dioecesani, auditio Consilio presbyterali, constitui non possunt, dioecesis dividatur in partes territoriales, in quibus singuli Vicarii episcopales muneribus fungantur quae iure Vicario foraneo competunt.

§ 3. Vicariatus foraneos constituere, supprimere aut innovare, secundum necessitates actionis pastoralis, pertinet ad Episcopum dioecesanum, auditio Consilio presbyterali.

2) prospiciendi ut sacerdotes aliique clerici sui districtus vitam ducent proprio statui congruam, utque officiis suis diligenter satisfaciant, in specie ut verbi divini ministerium debite persolvant, catecheticamque institutionem ad normam can. 1345, 1348 et 1351 curandam, ut sacramenta christifidelibus administrent, utque legem residentiae servent;

3) providendi ut sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur, ut decor et nitor ecclesiarum et sacrae suppellectilis, maxime in celebratione eucharistica et custodia sanctissimi Sacramenti, accurate servetur, ut recte conscribantur et debite custodiantur libri paroeciales, ut bona ecclesiastica sedulo administrentur, utque domus paroecialis debita diligentia curetur.

§ 2. In Vicariatu sibi concredito Vicarius foraneus:

1) fraternal sollicitudine prosequatur presbyteros aliosque clericos in territorio adlaborantes, confidentem cum eis consuetudinem habens atque communi cum eis consilio curans ut opus pastorale fructuose perficiatur;

2) operam det ut presbyteri aliique clerici, iuxta iuris particularis praescripta, statutis ab eodem temporibus, praelectionibus, conventibus theologicis aut conferentiis, ad normam can. 129 (recogniti), intersint;

3) curet ut presbyteris aliisque clericis sui districtus subsidia spiritualia praesto sint, utque ipsis quae ad vitam honeste et digne ducendam subsidia materialia, non desint, atque maxime sollicitus sit de iis sacerdotibus qui in difficilioribus versantur circumstantiis aut problematibus anguntur, eosdem frequenter visitans.

§ 3. Curet Vicarius foraneus ne parochi sui districtus, quos graviter aegrotantes noverit, spiritualibus ac materialibus careant auxiliis, utque eorum qui decesserint funera celebret; provideat quoque ne, eis aegrotantibus vel decedentibus, libri, documenta, sacra seppellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur.

§ 4. Vicarius foraneus obligatione tenetur, statutis ab Episcopo dioecesano temporibus, sui districtus paroecias visitare.

Can. 36 (CIC, can. 448 § 2)

Vicarius foraneus, qui non sit parochus, residere debet in territorio vicariatus aut saltem in loco non multum distanti, secundum normas ab Episcopo dioecesano definiendas.

Can. 37 (CIC, can. 449)

Semel saltem in anno, statuto ab Episcopo tempore, Vicarius foraneus de statu paroeciarum sui districtus, de actione pastorali in eodem expleta et prospecta, necnon de votis presbyterorum Episcopo dioecesano rationem reddat.

Can. 38 (CIC, can. 450 § 1)

Vicarius foraneus sigillum habeat vicariatus proprium.

V. DE ECCLESIARUM RECTORIBUS

Can. 39 (CIC, can. 479)

§ 1. Ecclesiarum rectores hic intelliguntur sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitulois, nec adnexa domui communitatis Instituti perfectionis, quae in eadem officia celebret.

§ 2. De cappellano sodalium mulierum Instituti perfectionis, sodalium virorum laicalis Instituti perfectionis, aliasve legitimae christifidelium consociationis, serventur particularium canonum praescripta; cappellani vero est universas quae in ecclesia cui praeest celebrentur liturgicas functiones moderari atque prospicere ut nihil in ecclesia fiat sanctitati loci contrarium.

Can. 40 (CIC, can. 480)

§ 1. Ecclesiae rector libere nominatur a loci Ordinario, salvo iure eligendi aut praesentandi, si cui legitime competit; quo in casu loci Ordinarii est rectorem confirmare vel instituere.

§ 2. Etiam si ecclesia pertineat ad aliquod Institutum perfectionis exemptum, rector tamen a Superiori praesentatus ab Ordinario loci institui debet.

§ 3. Rector ecclesiae, quae coniuncta sit cum Seminario aliove collegio quod a clericis regitur, est Superior Seminarii vel collegii, nisi aliter loci Ordinarius constituerit.

Can. 41 (CIC, can. 481)

Functiones paroeciales in ecclesia sibi commissa rectori peragere non licet.

Can. 42 (CIC, can. 482)

Potest rector in ecclesia sibi commissa divina officia etiam sollemnia celebrare, salvis legitimis fundationis legibus, atque dummodo non noceant ministerio paroeciali; in dubio utrum eisdem detimento sint necne loci Ordinarii est rem dirimere et oportunas quibus vitetur normas prescribere.

Can. 43 (CIC, can. 483)

§ 1. Si ecclesia, loci Ordinarii iudicio, ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine vero incommodo ecclesiam paroecialem adire ibique divinis officiis interesse possint:

1) Loci Ordinarius, comminatis etiam poenis, potest rectori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos, dies ieiunii et abstinentiae, aliaque quae ad vitam paroecialem pertinent denuntiet, atque homiliam institutionemque catecheticam ad normam iuris curet.

2) Parochus potest ex eadem ecclesia sanctissimum Sacramentum, ibidem ad normam can. 1265 (recogniti) forte asservatum, pro infirmis desumere.

§ 2. Ubi necessitas pastoralis id suadeat, Ordinarius loci praecipere potest rectori ut ecclesia pateat certis christifidelium coetibus officia celebraturis.

Can. 44 (CIC, can. 484)

§ 1. Sine rectoris aliasve legitimi Superioris licentia saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia Eucharistiam celebrare, Sacraenta administrare aliasve sacras functiones peragere; quae vero licentia detur aut denegetur ad normam iuris.

§ 2. Ad verbi Dei praedicationem in ecclesia quod attinet, serventur praescripta canonum 1337-1342 (recognitorum).

Can. 45 (CIC, can. 485)

Ecclesiae rector, sub auctoritate loci Ordinarii servatisque legitimis statutis et iuribus quae sitis, obligatione tenetur prospiciendi ut sacrae functiones secundum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona diligenter administrentur, sacrae suppellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori provideatur, et ne quid-

piam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet.

Can. 46 (CIC, can. 486)

Rectorem ecclesiae, etsi ab aliis electum aut praesentatum, loci Ordinarius ex iusta causa, pro suo prudenti arbitrio ab officio amovere potest; quod si rector sit sodalis Instituti perfectionis aut societatis clericorum, servetur, ad eius amotionem quod attinet, praescriptum can. 24 § 2.